

quod ex hac non oriatur notabiliter major reverentiæ obligatio ex linea recta, quam ex transversa.

199. *Si dispensatio principaliter petitur super impedimento publicæ honestatis, debet exprimi, an ex matrimonio, vel sponsalibus proveniat?* — Resp. II. Si super honestate publica petatur dispensatio, debet exprimi, an sit ex sponsalibus, vel matrimonio. Justis, lib. I, cap. IV, n. 152; Sanchez et alii, quia ex matrimonio fortius oritur vinculum honestatis publicæ, quam ex sponsalibus. Dixi, si super primo gradu, quia, si super remotiori petatur, id exprimere non erit necesse, quia jam scitur, eam peti super honestate ex matrimonio hoc ipso, quod ex sponsalibus primum gradum non excedat per dicta tit. IV.

200. *In petitione super spiritualis cognationis dispensatione debet exprimi, an sit filiatio vel compaternitas.* — Quæritur IV. Quænam necessario debeant exprimi, quando petitur dispensatio super impedimento cognationis spiritualis? de quo tit. XI. Resp. Debent oratores. I. Cognationem spiritua-lem ita exprimere, ut cognoscatur, an intercedat filiatio, et paternitas, vel maternitas, an vero tantum compaternitas, seu commaternitas; Sanchez, lib. VIII, disp. 24, n. 15; Aversa, de Matrim., q. 19, sect. 5. § Sexta. Justis, loc. cit., num. 168. Ratio est; quia longe indecentius est matrimonium inter patrem, et filiam spiritualem, quam inter compatrem et matrem hujus filiæ aut commatrem et patrem ejusdem. Accedit, quod in paternitate spirituali nunquam, aut vix dispensare soleat Papa juxta dicta num. 136.

201. *Item an simplex, vel duplex sit cognatio spiritualis? quando sit duplex?* — II. Exprimi debet, si cognatio spiritualis est duplex, puta, si quis alicujus prolem unam e fonte levavit, et eandem in confirmatione tenuit: vel ejusdem prolem unam tenuit, alteram levavit; vel si unus alterius liberos vicissim levavit, Justis, lib. I, cap. IV, num. 169; Aversa, loc. cit., et alii. Hæc tamen cognatio non multiplicatur, nec erit necesse exprimere, si quis plures ejusdem liberos e sacro fonte levavit, aut in confirmatione tenuit; uti ex declaratione Clementis VIII, refert Garcias, p. 8, cap. III, n. 78, Justis, loc. cit., n. 170. Neque erit necesse, exprimere, an cognatio spiritualis proveniat ex baptismo, vel confirmatione, sed sufficit ex-

primere spiritualem filiationem, vel compaternitatem. Sanchez, lib. VIII, disp. 24, n. 15. Ratio est; quia hæc nihil, vel parum mutant, vel augent.

202. *Super impedimento criminis exprimi debet, an cum, vel sine machinatione in morte existat.* — Quæritur V. Quænam necessario sint exprimenda, quando petitur dispensatio super impedimento criminis? de quo tit. VIII. Resp. Esse exprimendum I. An sit ex machinatione in mortem conjugis; an ex solo adulterio sine machinatione, vel an ex utroque simul. Justis, loc. cit., n. 188, et alii communiter. Ratio est; quia, si ex machinatione procedit, Papa pro foro externo nunquam dispensat, pro interno autem difficulter juxta dicta superius n. 138 et 139.

203. *Compendiosa repetitio eorum, quæ necessario exprimi debent.* — Quæritur VI. Majoris commoditatis gratia, quænam in compendio sint, quæ juxta dicta hoc § necessario exprimi debent, ne dispensatio sub. vel obreptitia censeatur? Resp. I. Super quocunque impedimento petatur dispensatio necessario exprimenda (præter justam, ac legitimam causam, quæ ad quamvis dispensationem requiritur juxta dicta § I) sunt in compendio sequentia, videlicet. I. Nomen, et cognomen oratorum. II. Nomen diocesis, et si petatur dispensatio ob angustiam loci, vel locum ad litus maris, etiam locus oratorum. III. Impedimentum in specie, et distincte, juxta dicta nu. 150. IV. Si oratores plura impedimenta habent, debent omnia exprimere, et quidem V. In eadem supplicatione juxta dicta nu. 151 et seqq. VI. Copula præhabita, juxta dicta n. 155. VII. matrimonium prius jam contractum, juxta dicta n. 157.

Resp. II. Pro dispensatione super impedimento consanguinitatis, præter dicta numer. præced. Specialiter exprimi debet I. Gradus consanguinitatis, et linea, juxta dicta num. 163. II. Multiplicitas vinculi per dicta num. 185. III. Etiam gradus propinquus, si inæqualiter distant, juxta dicta a nn. 166. IV. Copula præhabita, juxta dicta a nu. 183.

Resp. III. Pro dispensatione super impedimento affinitatis, omnia sunt exprimenda, quæ super consanguinitate, et insuper ea, quæ diximus, a nu. 196.

Resp. IV. Pro dispensatione super impedimentis publicæ honestatis, cognationis

spiritualis, et criminis compendiosa recapitulatio superfluit, quia compendiose jam habetur a. n. 199.

## § V.

DE FALSITATE, ET ERRORE PRECUM, SEU SUPPLICATIONIS, VITIANTE DISPENSATIONIS LITTERAS, EASQUE SUB. VEL OBREPTITIAS REDDENTE: ITEM DE TEMPORE ET MODO, QUO VERIFICARI DEBENT CAUSÆ PRO DISPENSATIONE OBTINENDA ALLEGATÆ.

204. *Causa dispensandi alia est motiva, seu finalis, ac principalis; alia tantum impulsiva.* — Notandum prius, falsitatem in supplicatione posse varie præcipue vero circa causas dispensandi contingere: idque vel circa causam motivam seu finalem (quæ etiam principalis vocari solet) vel circa impulsivam tantum. Ubi per causam motivam, seu finalem intelligitur illa, quæ movet Papam ad dispensandum, seu qua non expressa Papa vel omnino non, vel saltem non tam absolute, sed solum restricte, seu sub certis conditionibus, vel limitationibus dispensasset. Per causam impulsivam (quæ etiam secundaria, et minus principalis dicitur) intelligitur, quæ non movet ad dispensandum, sed juvat, et facit, ut facilius dispensetur, ita tamen, ut etiam illa non expressa pontifex nihilominus, etsi difficiliter dispensasset. Ita in re communis. Et patet ex dictis lib. I, tit. III, de Rescriptis. § 8, n. 181. Hoc notado.

205. *Non quævis, sed illa tantum falsitas vitiat dispensationem, qua non expressa papa non dispensasset.* — Quæritur I. Quænam falsitas precum, seu supplicationis, præsertim circa causam vitiet rescriptum, seu dispensationem, eamque sub. et obreptitiam, consequenter nullam reddat? Resp. 1. Non quævis falsitas, sed illa tantum vitiat dispensationem, qua non expressa pontifex non dispensasset; etsi per ignorantiam vel simplicitatem fuerit expressa. Ita communis, textu clarissimo c. super Litteris, 20. de Rescript. cujus textum, sicut et totam conclusionem amplius probatam, et explicatam vide cit. lib. I, tit. III, § 8, a n. 156.

206. *Falsitas circa causam finalem, seu motivam invalidat dispensationem.* — Resp. II. Falsitas circa causam motivam seu finalem etiam ex simplicitate, vel ignorantia commissæ vitiat, et nullam reddit dispensatio-

nem. Unanimis et certa. Arg. cit. c. Super litteris de Rescriptis. Accedit, quod omnis dispensatio expresse, vel tacite habeat hanc clausulam conditionatam; si preces veritate nitantur, textu claro c. II, de rescriptis. Quæ verificari debet saltem in principali, seu motiva causa; ne alias pontifex sine legitima causa dispensare videatur.

207. *Nisi sint plures causæ finales, et una saltem eorum vera.* — Limitatur tamen conclusio in casu, quo plures causæ motivæ seu finales, id est, tales sunt expressæ, quarum quælibet etiam tacitis aliis movisset ad dispensandum: tunc enim valet dispensatio, si unica est vera, licet una vel plures aliæ allegatæ sint falsæ, ut cum aliis bene advertit Sanchez, lib. VIII, disp. 21, n. 42 et 44. Sperel. decis. 30, n. 39; Justis, de Dispensat. lib. III, cap. I, n. 59; Gobath, in Theolog. experiment. Tract. 9, n. 633 et 615. arg. cit. c. Super litteris, 20. de Rescript. Ratio est, « tum quia utile non debet per inutile vitari » c. Utile de Reg. jur. in 6; Tum quia si saltem una causa est vera, et talis, ob quam etiam tacitis aliis dispensasset Papa, jam censentur reliquæ potius impulsivæ, quam finales, consequenter dispensationem non vitiantes, etsi sint falsæ, juxta conclusionem statim sequentem. Tum tandem, quia quando plura non necessaria narrantur, resolvitur copulativa in disjunctivam arg. c. Cum jam dudum. de Præbend. At cum disjunctive narrantur causæ, sufficit ad valorem rescripti alteram esse veram, textu claro c. Inter ceteras. de Rescriptis. Et ibi Glossa ac doctores communiter. Et hoc bene est advertendum, quia in praxi sæpe juvare potest.

208. *Falsitas circa causam impulsivam non vitiat dispensationem.* — Resp. III. Falsitas commissæ circa causam impulsivam non vitiat rescriptum seu dispensationem, nec obest valori illius. Hanc conclusionem solutis etiam objectionibus fuse probatam habes per doctores, jura, et rationes allegatas lib. I, tit. III, § 8, a n. 184. ubi vide, ne fiat superflua repetitio. Auctoribus, loc. cit., allegatis adde pro conclusione etiam Justis, de Dispensat. lib. I, cap. IV, n. 28 et plures alios ab eodem ibidem citatos.

209. *Unde cognosci valeat, causam esse motivam, vel impulsivam? Remissive.* — Si quæras, unde cognosci valeat, causam aliquam esse motivam seu finalem, vel potius impulsivam tantum, consequenter utrum illa ta-

cita Papa dispensasset vel non? Resp. Ad hoc quæsitum rursus satis patere ex cit. l. I, tit. III, § 8, a n. 194, ubi inter alia dictum, et probatum est primo, quod si in dispensatione allegetur unica tantum causa, ea semper censeatur finalis, consequenter falsa existens vitiet, et invalidet dispensationem. Secundo, quod pluribus allegatis causis desumendum sit ex stylo curiæ, et in illius defectu, prudenti iudicis arbitrio, quamnam sit causa finalis, seu motiva, quamnam impulsiva. Ex quo colliges causas § 69. allegatas, utpote stylo curiæ receptas, esse motivas, seu finales, et principales in casibus, et gradibus ibidem expressis. Tertio, quod, quando consideratis considerandis dubium remanet an causa falso allegata sit finalis, seu motiva, an vero impulsiva, præsumendum sit, eam esse impulsivam tantum, nisi sola sit allegata. De quibus amplius vide loc. cit.

210. *Error nominis, vel pronominis oratorum de jure non vitiat dispensationem, bene vero de stylo curiæ.* — Quæritur II. An, et qualis error vitiet, ac invalidam reddat dispensationem? Ante responsionem nota, errorem ad præsens potissimum contingere in nomine, vel cognomine oratorum: Item in loco oratorum, præsertim diœcesis: Item in ipso impedimento, vel gradu illius. Resp. I. licet error in nomine et pronomine de jure non vitiet rescriptum textu claro l. *Si in nomine. c. de Testam.* ibi: « Si in nomine, vel pronomine seu cognomine, seu agnomine, testator erraverit, nec tamen de quo senserit, incertum sit; error hujusmodi nihil officit: » ac propterea Sanchez, *de Matrim.*, lib. VIII, disp. 21, n. 37; Justis, cap. IV, n. 54; Paris., *de Resig.* lib. XI, q. 6, n. 53, et plures alii velint, id etiam procedere quoad errorem nominis, vel cognominis oratorum in dispensatione matrimoniali, tamen teste Corrad. lib. VII, cap. v, nu. 3 et seqq. allegante testimonium omnium curialium (quibus utique credendum) de hodierno stylo et praxi, contrarium servatur, et consequenter ab executoribus observandum est, cum stylus curiæ stet loco legis, arg. c. *Ex litteris. de Constit. et c. Quam gravi de rescripti.* Nec locus est correctioni erroris, sed debet de novo fieri supplicatio, uti ex stylo idem docet Corrad., loc. cit., nu. 7, dicens, stylum hunc merito esse introductum ad evitandas innumeras fraudes, quibus omnia jura resistunt. L. *Si cui. ff. De servitut.*

211. *Maxime quando dispensatio in forma pauperum est.* — Et hoc maxime procedit, dispensationemque invalidam reddit error nominis, vel pronominis, si dispensatio est in forma pauperum; ut ipse priori conclusioni adversarius etiam fatetur Justis, loc. cit., nu. 56. eo quod alias officiales curiæ in eorum emolumentis jure sibi debitis sæpe præjudicium paterentur.

212. *Nisi error esset tantum in aliqua syllaba, vel oratoris unum nomen baptismale omitteretur.* — Illud tamen cum Corrad. loc. cit. num. 8. notandum, quod, si in aliquo dispensationis rescripto reperiretur verisimilis error consistens præcise in mutatione alicujus litteræ, vel syllabæ, ut si loco Antonii scriberetur Antonini, vel loco Bernardi, Bernardini, valeret dispensatio: sicut etiam, si quis duo nomina baptismalia habens, v. g., Joannes Adamus, unum tantum exprimeretur v. g., Joannes.

213. *Error in nomine diœcesis vitiat dispensationem. Si oratores sunt diversæ diœcesis, debet utraque exprimi et delegatur dein ordinarius oratoris.* — Resp. II. Error in nomine diœcesis, quo dicitur v. g. oratores esse diœcesis Ratisbonensis, cum sint Frisingensis, vitiat, et invalidam reddit dispensationem. Sanchez, lib. VII, disp. 21, nu. 39; Corrad., lib. VII, cap. v, nu. 28; Justis, lib. I, cap. IV, a num. 66. cum communi, ob notorium stylum curiæ, de quo testatur Corrad. et Justis, loc. cit., bene etiam notantes, quod, si oratores sint diversæ diœcesis, debeat utraque exprimi: quo casu dein litteræ dispensationis committuntur ordinario oratoris. Ratio autem, cur error diœcesis vitiet, est, quod tunc nullus ordinarius possit exequi litteras, non proprius oratorum, quia eidem, uti supponitur, data commissio non fuit: nec ille, cui per errorem data est: quia est contra intentionem dantis, qui non nisi ordinario impetrantium delegare intendit conformiter concil. Trident., sess. 22, cap. v. ibi: « committantur ordinariis illorum, qui eas impetrant. »

214. *Error circa locum, vel patriam oratorum non invalidat dispensationem, nisi petatur ob angustiam loci.* — Resp. III. Error circa locum, seu patriam oratorum non vitiat rescriptum, nisi petatur dispensatio ob angustiam loci, vel ob locum ad littus maris. Justis, loc. cit., a num. 59; Corrad., loc. cit., a nu. 30 et alii. Ratio est; quia expressio patriæ, nisi sit diœcesis, vel ob

angustiam, aut locum ad littus maris petatur dispensatio, omnino non est necessaria; consequenter error circa illam nil importat. Secus est, si ob angustiam, vel locum ad littus maris petitur dispensatio. Ratio est; quia tunc locus denominatus est causa motiva, seu finalis; consequenter error circa illam vitiat rescriptum per dicta supra n. 206.

215. *Error circa impedimentum et gradum vitiat rescriptum.* — Resp. IV. Error circa impedimentum, vel gradum vitiat et invalidat dispensationem; prout supra jam dictum nu. 150.

216. *Nisi ejusdem impedimenti gradus propinquior esset expressus loco remotioris.* — Excipe tamen casum, quo exprimeretur propinquior gradus pro remotiori ejusdem speciei; dicendo v. g. oratores esse in tertio consanguinitatis gradu, cum tamen essent in quarto: Tali siquidem in casu etsi Papa expresse tantum dispenset in propinquo v. g., tertio utpote solo expresso, tamen tacite etiam censetur dispensare in remoto. Sanchez, lib. VIII, disp. 24, nu. 17; Justis, lib. I, cap. IV, n. 431; Pont. lib. VIII, cap. XVII, § 6, nu. 31, cum communi aliorum. Ratio est; quia gradus propinquus includit in se etiam remotum ejusdem, non item diversæ speciei. Hinc licet juxta dicta num. 150. in dispensatione non valeat argumentum a majori ad minus, valet tamen, si gradus sunt ejusdem speciei; v. g. consanguinitatis. doctores citati.

217. *Varia consideratio temporis.* — Quæritur III. Quo tempore veræ esse, seu verificari debeant causæ pro obtinenda dispensatione allegatæ? Notandum prius, non sufficere, adesse vel adfuisse legitimam dispensandi causam, nisi tempore requisito adsit. Potest autem ad præsens quadrupliciter considerari tempus, videlicet. 1. Tempus, quo oratores supplicationem pro dispensatione mittunt, vel tradunt pontifici. 2. Tempus, quo litteræ dispensationis Romæ expediuntur. 3. Tempus quo illas sibi exhibitas ordinarius, vel alius delegatus exequitur, et actu dispensat. 4. Quo facta jam dispensatione matrimonium ineunt dispensati. Hoc notato.

218. *Non est necesse, causam allegatam veram esse, aut existere tempore, quo fit supplicatio.* — Resp. I. Non est necesse, causam dispensationis veram esse, vel existere tempore, quo supplicatio mittitur, vel traditur

pontifici. Sanchez, lib. VIII, disp. 30, nu. 2, eoque teste doctores fere omnes, dissentiente tamen Justis, lib. I, cap. VI, num. 299 et 300. Ratio est; quia tempus antecedens dispensationem in considerationem non venit. Nec clausula illa, si ita est, vel si preces veritate nitantur; ad illud refertur, ut statim magis patebit ex dicendis infra.

219. *Solvitur objectio.* — Dices falsitas circa causam motivam vitiat rescriptum juxta dicta, præsertim si eam dolose proponunt oratores, scientes, illa non subsistere, arg. c. *Super litteris, 20, de Rescript.* ergo si causa non subsistit tempore, quo fit supplicatio, dispensatio erit irrita, præsertim si oratores sciunt eam non subsistere. Resp. Distinguendo antecedens, falsitas circa causam finalem vitiat rescriptum, si falsitas illa adest tempore executionis, conceditur, tempore sollicitationis, negatur. Nec possunt dici fraudulentis oratores, si prævident causam modo quidem non subsistere, eventuram tamen tunc temporis, quo ejus existentia, et verificatio erit necessaria.

220. *Nec est necesse, existere allegatam causam tempore, quo litteræ expediuntur Romæ.* — Resp. II. Neque requiritur, ut existat, et verificetur causa tempore, quo litteræ dispensationis Romæ expediuntur. Ita doctores citandi nu. sequenti contra Sanchez, lib. VIII, disp. 30, nu. 4; Abbas, in c. *Quia circa. de Rescript.*, n. 6. et ibi Joan. Andr. num. 3. Hostiensis paulo post principium. Guttierrez, Canon. quæst. lib. II, cap. XV, num. 131, et plures alios. Probatur autem conclusio ex sequenti. Nam:

221. *Sed sufficit, et requiritur eam verificari tempore, quo delegatus litteras dispensationis exequitur et actu dispensat.* — Resp. III. Ad valorem dispensationis requiritur, et sufficit existere, et verificari causam tempore, quo ordinarius, vel alius delegatus pontificias exequitur litteras dispensationis, seu actu dispensat. Primam partem, quod requiratur, ut existat, et verificetur, habet communissima doctorum signanter Sanchez, loc. cit., num. 12. Pyrr. Corrad. lib. VII, cap. VI; Justis *de Dispensat.* lib. I, cap. VI, numer. 285.; Paris; Pontius, lib. VIII, cap. XX, n. 3; Guttierrez, *de Matrim.* cap. CXXVI, n. 2; Bonacin. *de Legib.*, disp. 1, q. 2, punct. 10, prop. 2. Ratio est; quia gratia pontificia non habet vim perfectæ et consummatæ dispensationis, sed potius est mandatum de dispensando sub conditione

tacita, vel expressa si ita est, seu, si preces veritate nitantur, consequenter, si hæc conditio, seu clausula non adimpletur, seu si allegata causa non verificatur tempore, quo dispensatio fit, aut fieri deberet, delegatus valide dispensare nequit. Nec refert, quod prius tempore nempe sollicitationis, et gratiæ a Papa concessæ jam extiterit: tum obrationem datam: tum quia cessante causa finali cessat mandatum c. *Si pauper de Præbend.* in 6.

222. *Doctrina practica inde deducta.* — Infertur cum doctoribus allegatis, in sequentibus ac similibus casibus delegatum nec licite, nec valide dispensare posse, et si dispensat, dispensationem, ac matrimonium nullum fore. 1. Si puella, quæ ob defectum dotis petiit et obtinuit Romæ dispensationem, postea, sed antequam delegatus dispensavit, alia via, donatione v. g. hæreditate etc., sufficientem obtinuit dotem, prout jam dictum est supra n. 90. 2. Si lis super re magni momenti, ob quam Romæ impetrata fuit dispensatio, plene terminata fuit ante dispensationem ab ordinario factam, 3. casu, quo ex causa angustię petita ac etiam obtenta est Romæ dispensatio, si ante ejus executionem a delegato factam, æqualis vir mulierem pro matrimonio expetiit.

223. *De facto non Papa, sed ejus nomine ordinarii dispensant ex speciali mandato.* — Altera pars conclusionis, videlicet, quod sufficiat verificari causam motivam tempore, quo delegatus actu dispensat, etsi tempore, quo sollicitata, et romæ impetrata fuit gratia dispensationis, nullatenus extiterit, nec vera fuerit, docetur a Pyrrh. Corrad. in *Præci dispensat.* lib. VII, cap. vi., numer. 24. allegante modernum stylum curiæ et 25; Garcia, *de Benef.*, p. 6, cap. II, numer. 283, et aliis. Ratio est; quia juxta dictum modernum stylum curiæ, Papa, vel curia romana ipsamet non dispensat, sed tantum dat mandatum, ut delegatus dispenset, sub conditione, et clausula, si ita est, seu si preces veritate nitantur; ergo si delegatus pro tunc, quo dispensare vult, reperit, rem de facto, seu de præsentī ita se habere, et causam revera existere, consequenter preces hoc tempore, quo vera dispensatio fit, omnino niti veritate, conditio et clausula perfecte impleta habetur, consequenter nil impedit, quin dispensatio fieri queat, et facta subsistat. Cum Papa aliud non requirat, quam ut preces veritate nitantur, antequam dispensetur, quod evenit in casu nostro.

224. *Est distinguendum inter mandatum de dispensando, et inter ipsam dispensationem.* — Dices; hæc conclusio videtur aperte militare contra sacros canones; ubi dispensationes nullæ declarantur, casu quo causa motiva vel nunquam, vel non amplius extitit tempore datæ, seu quo gratia dispensationis Romæ concessa fuit, ut patet ex c. *Quia circa. de Consang. et Affinit.* et c. *si eo tempore de Rescript.* in 6. Resp. Hos et alios canones loqui de tempore antiquo, quo Papa, vel curia romana nulli alteri mandatum dispensandi committens ipsemet perfecte, et complete dispensabat; quo tempore utique debuit vere existere causa; sicut eam modo existere debere dicimus tempore, quo nomine Papæ dispensat ordinarius, vel alius delegatus. Aliter autem res se habet tempore moderno, quo, ut sciunt practici et docet notorius stylus, dispensationes complete, seu in forma gratiosa, uti vocari solent, non amplius fiunt, sed committuntur ordinariis, ut ipsi habita sufficienti informatione et cognita precum veritate saltem tunc, quando actu dispensandum erit, re ipsa, et actu dispensant.

225. *Solvitur objectio.* — Hinc merito conqueritur Corrad., loc. cit., quod doctores non distinguentes tempus, nec stylum antiquum a novo, et mandatum de dispensando confundentes cum actuali dispensatione decipiantur.

226. *Facta semel per delegatum dispensatione non requiritur, ut causa adhuc daret, dum contrahitur matrimonium.* — Instabis, si tempore, quo Romæ expediuntur dispensationis litteræ, non existit causa dispensandi, non est credibile, quod Papa intendat dispensare, cum, si sciret, eam non existere, profecto non dispensare; præsertim quia fraudem oratorum deprehenderet, quam semper abhorret, et ea concurrente nunquam censetur dispensare: textu claro c. *Super litteris.* 20. *de Rescript.* Resp. Negando totum argumentum, vel suppositum; quia uti jam dictum est, etsi Papa sciret, tempore suæ expeditionis allegatam causam dispensandi non subsistere, tamen, si simul sciret, eam eventuram ante actualem dispensationem a delegato faciendam, et ad id reflexisse oratores, indeque a fraude esse alienos, omnino concederet mandatum de dispensando teste stylo per Corrad. allegato.

227. *Ponitur et solvitur objectio.* — Resp. IV. Non requiritur, ut dispensationis causa

finalis, seu motiva verificetur, et existat, seu perduret adhuc, quando matrimonium contrahitur, sed sufficit, quod tempore dispensationis a delegato factæ extiterit; etsi post illam, et adhuc ante matrimonium cesset, vel evanescat. Pontius, *de Matrim.* lib. VIII, cap. xxii, n. 4; Guttierrez, *de Matrim.* 126, n. 2; Sylvester, *ŷ. Dispensatio*, q. 41; Justus, lib. III, cap. I, n. 82, cum communi aliorum contra Sanchez, lib. VIII, disp. 30, n. 14. Probatur conclusio partim ex conclusione præcedenti: partim ratione, videlicet, quod post factam a delegato executionem, seu actualem dispensationem, gratia dispensationis jam sit perfecta et completa in ablatione vinculi, seu impedimenti; atqui hujusmodi vinculum et impedimentum semel ablatum non amplius reviviscit, arg. c. *Ex tua, de Filiis presbyter.* juncta Glossa ibidem *ŷ. Irritari, et Regula 73, Juris* in 6. « Factum legitime retractari non debet, licet casus veniat, in quo non potuit inchoari; » quam regulam regulariter procedere, quando actus fuit perfectus et consummatus, passim fatentur doctores consequenter etiam dispensatio semel perfecta et completa, superveniente casu non retractatur, nec impedimenti vinculum semel ablatum amplius redit.

228. Dices cum Sanchez et ei adherentibus: cessante causa cessat effectus c. *Cum cessante de Appell.* ergo pariter cessante causa finali, et motiva, cessat privilegium, a. g. c. *Suggestum de privilegiis*, juncta Glossa ibidem: *Hinc, l. 1, ff. de Condit. sine causa* dicitur: « Paria esse, sive ab initio sine causa promissum est, sive ea postea desierit, ut conditioni locus sit. » Confirmatur: « Actus non operantur ultra intentionem agentium. » arg. c. *fin. de Præb.* atqui dispensans non censetur dispensasse, nisi sub hac conditione saltem tacite intellecta, dummodo causa permaneat; nam alioquin male dispensasset, si voluisset dispensationem suam extendi ad eum casum, quo causa prorsus cessaret. Confirmatur ulterius, et quidem a pari: quia dispensatio comedendi carnes in quadragesima propter specialem infirmitatem cessat, cessante postmodum illa infirmitate; ergo idem dicendum in proposito.

229. Verum respondetur; et quidem ad illam regulam, cessante causa cessat effectus, dicitur, eam procedere, quando effectus necdum plene perfectus, et consummatus

est; secus quando est plene perfectus et consummatus, uti in proposito; ubi per præviam dispensationem vinculum impedimenti matrimonialis est penitus sublatum.

Ad textum juris respondetur, id esse speciale in casibus illis, in quibus ea est intentio principis, ut cessante causa cesset effectus; quod non fit in proposito, ut bene advertit Perez. Ad confirmationem negatur minor: nam ad hoc, ut dispensans non dicatur male aut inique dispensare, sed potius dispensatio censeatur valida, sufficit preces seu causam dispensationis fuisse verificatam tempore actualis dispensationis per ordinarium, vel alium delegatum auctoritate papali factæ. Includi vero tacite illam conditionem, dummodo causa perduret, tanquam gratis dictum negatur.

230. Ad alteram confirmationem negatur paritas inter dispensationem carnes in quadragesima comedendi, causa infirmitatis, et inter dispensationem super impedimento matrimonii. Nam dispensatio illa prior habet tractum successivum, simulque sicut jejunium quadragesimale virtute multiplex est, et singulis diebus, quasi novam obligationem inducit, ita et dispensatio illa multiplex est; ac proinde non mirum, quod cessante causa infirmitatis, pro reliquis diebus cesset etiam ipse refectus. Secus fit in dispensatione super impedimentis matrimonii, utpote quæ non habet tractum successivum, sed statim tota simul conceditur, et habet quasi effectum indivisibilem, tollendo ipsam inhabilitatem, seu impedimentum.

## § VI.

DE SUPPLICATIONE PRO OBTINENDA DISPENSATIONE QUOAD FORUM EXTERNUM FORMA ORDINARIA SUPER IMPEDIMENTIS MATRIMONII, ET DE FORMULIS HUIUSMODI SUPPLICATIONUM.

231. *Dispensationes aliæ petuntur, et conceduntur pro solo interno, aliæ etiam pro externo, seu utroque foro; aliæ in forma pauperum, aliæ in forma ordinaria.* — Notandum prius, dispensationes super impedimentis matrimonii alias sollicitari, et expediri pro foro externo, seu potius pro utroque foro tam externo nempe, quam interno: alias vero pro solo foro interno, quando videlicet impedimentum est occultum, affinitas v. g. ex copula fornicaria proveniens, vel impedimentum criminis. Pro foro externo aliæ pe-